



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||  
COMPREHENSÆ.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

X. Nota septima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)



lis fidei habeant, sequitur nostram doctrinam conspirare cum doctrina antiquæ Ecclesie; Aduersariorum autem cum hæresibus antiquis.

CAPVT X.

NOTA septima.

**S**EPTIMA NOTA est VNIO membrorum inter se, & cum capite; nam Ecclesiam esse vnum corpus, vnam sponsam, vnum ouile, passim Scripturæ docet, ad Rom. 12. Cant. 6. Ioan. 10. & in Symbolo Constantinopolitano, dicimus vnam Ecclesiam. Præcipua autem vnitas corporis consistit in coniunctione membrorum cum capite, & inter se. de vtraq; vnione dicendum est, & primùm de prima; sed quoniam de capite Ecclesie, qui est Romanus Pontifex, alibi disseruimus, hinc solùm, aliquot in medium allatis testimoniis Patrum, ostendemus, apud veteres semper fuisse habitam pro nota veræ Ecclesie coniunctionem cum Romano Pontifice.

IRENAEVS lib. 3. cap. 3. apertè dicit, ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse esse omnem conuenire Ecclesiam, id est, eos, qui vndique sunt fideles. CYPRIANVS lib. 1. epist. 3. *Post ista*, inquit, *adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophænis literas ferre, nec cogitare, eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Et lib. 4. epist. 8. de cathedra Romani Pontificis loquens: *Scimus, inquit, hortatos nos esse, vt Ecclesia Catholica matricem & radicem agnoscerent, & tenerent.* AMBROSIVS in orat. de obitu Satyri: *Rogauit, inquit, si cum Episcopis Catholicis, id est, si cum Ecclesia Romana consentiret.*

HIERONYMVS in epistola ad Damasum de hypostasis nomine: *Hic, inquit, in tres partes scissa Ecclesia, me ad se rapere festinat, ego interim clamito; Si quis cathedra Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atq; Paulinus tibi hæere se dicunt. Possent credere, si hoc vnus assereret; nunc aut duo mentiuntur, aut omnes.* Et in epistola superiori: *Ego, inquit, Beatitudini tuæ, id est, cathedra Petri communionem confector,*



super illam petram edificatam Ecclesiam scio: Quicumq; extra hanc domum agnum comederit, prophanus est: si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuiio. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum: quicumq; tecum non colligit, spargit; id est, qui Christi non est, Antichristi est. Et in epitaphio Marcellæ scribit, S. Athanasium & eius successorem Petrum, Alexadrinos Episcopos, persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, tanquam ad tutissimum suæ communionis portum, Romam confugisse.

OPRATVS lib. 2. contra Parmen. à principio per aliquas paginas, docet, veræ Ecclesie dotem primam, & præcipuam esse cathedram Petri, quæ Romæ est, & inde probat, Donatistas non pertinere ad Ecclesiam veram, quia non essent coniuncti cum Siricio, qui tunc sedebat in cathedra Petri.

AUGUSTINVS in epist. 162. loquens de Ceciliano Episcopo: Qui, inquit, posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret Romanæ Ecclesie, in qua semper Apostolica cathedra viguit principatus, per communicatorum literas esse coniunctum. Et in Psal. contra partem Donatistarum Venite fratres, si vultis, ut inseramini in vite: dolor est, cum vos videamus præcisos ita iacere: numerato Sacerdotes, qui ab ipsa Petri sede, in ordine illo Patrum quis, cui successerit, videte: Ipsa est petra, quam non vincunt superba inferorum porta. LEO epist. 87. ad Episcopos Viennensis prouincie: Predicationis, inquit, Euangelij Sacramentum ita Dominum ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beato Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, ut ab ipso quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.

His adde experientiam; videmus enim omnes illas Ecclesias, quæ ab isto capite se diuiserunt, tanquam ramos præcisos à radice, continuè aruisse. Certè Ecclesie Asiaticæ & Africanæ, quæ quondam ita florebat, ut numerosissima Concilia celebrarent, & semper haberent multos homines, quos doctrina, vel sanctitate, vel utroque Dei munere clarissimos, ab eo tempore, quo à Romana Ecclesia schisma fecerunt, nulla Concilia celebrarunt, nullos habuerunt homines famæ sanctitatis, aut doctrinæ toti orbi notos, & nunc in summa ignorantia versantur.

Venit



Veniamus nunc ad consensionem membrorum inter se. Certum est, Concordiam esse signum Regni Dei, quod stare debet in æternum; Discordiam autem, Regni Diaboli, quod tandē ruere debet. Vnde Matth. 12. *Omne Regnū in seipsum diuisum, desolabitur.* Et I. Cor. 14. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* Et D. August. lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 52. dicit, Diabolum cupiuisse per hæreticos efficere, vt in Ecclesia Christi essent liberæ dissensiones, quomodo erāt in Academiis Philosophorum: vt sicut illæ per multas diuisiones tandem intereunt, & ab inuicem consumuntur, ita fieret in Ecclesia.

Iam ex hac nota clarissimum est, nostram Ecclesiam solā esse veram Dei Ecclesiam: siquidem in nostra Ecclesia in primis omnes Scriptores sacri mirificè inter se consentiunt, licet fuerint homines diuersi, & in locis, tēporibus, ac linguis diuersis scripserint: quod pro re planè diuina B. Aug. obseruat lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 41. deinde omnia legitimorum Conciliorum & Pontificum decreta etiam in omnibus dogmatibus inter se conueniunt, licet edita sint à diuersis hominibus, diuersis locis, temporibus, occasionibus, & contra diuersissimas, immò sæpe cōtrarias hæreses, quod est apertū signum vnius & eiusdem Spiritus sancti, hanc Ecclesiam gubernantis. Hoc autem esse verum, ostendit diligentia hæreticorum, qui licet omnia diligenter euoluerint, tamen non inuenerunt quidquā vllius momenti, quod reprehēdere possent; vt in disputatione de Conciliis ostendimus.

Denique, nunc omnes Catholici toto orbe dispersi de omnibus dogmatibus fidei sentiunt idē; nec possunt aliter sentire, cū omnes subiiciant sensum suum sensui vnius, & eiusdem summi Pastoris ex cathedra Petri cum cōsilio aliorum pastorum Ecclesiam dirigentis.

Quod autem nulla vnquam fuerit secta Gentilium, vel Hæreticorum, in qua talis cōsensio esset, facilè potest ostendi: Ac primum de Paganorum sectis, docet Augustinus serm. 11. de verbis Domini, ad eandem religionem apud eos Iunonem, & Herculem, aliosq; Deos inter se dissidentes, & etiam belligerantes pertinuisse. De Philosophis notum est omnibus aded, vt Basilius orat. 1. de opere sex dierum dicat, nō esse opus, vt nos pugnemus contra Philosophos, cū illi mutuis dissensionibus sufficiant ad suam ipsorum doctrinam euer-



tendam; de quo etiam vide Theodoretum libro de fide, & Augustinum lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 41.

Eundem fuisse morem omnium hæreticorum, certissimum est; nam Irenæus lib. 1. cap. 21. & sequentibus docet, hæresim Simonis primi hæresiarchæ mox diuisam, & inde natas esse sectas Menandrianorum, Basilidianorum, Saturniniorum, &c. Item lib. 1. cap. 5. scribit de Valentinianis, quod cum essent plurimi, vix duo, aut tres inter se cõueniebant in omnibus dogmatibus. De Donatistis scribit Augustinus libro de Baptismo, cap. 6. hæresim Donatarum in multa minutissima frustra concisam fuisse suo tempore.

Marcionitas mox diuisos fuisse, & inde natos Lucianistas, Apellianos, & Seuerianos docet Epiphanius lib. 1. tom. 3. cõtra hæreses. Montanistas diuisos esse in Pepuzianos, Arroyritas, Phrygastas, &c. scribit Epiphanius lib. 2. tomo 1. Manichæos quoque in sectas diuisas testatur Augustinus libro de hæres. cap. 46. Messalianos autem diuisos in Martyrianos, Sathanianos, Entusiastas, docent Epiphanius hæres. 80. & Theodoretus lib. 4. de hæret. fab. Ariani mox diuisi sunt in Acacianos, Macedonianos, Eunomianos, vt patet ex Rufino lib. 10. hist. cap. 25. iidem etiam Ariani singulis ferè annis fidem mutabant, vt scribit Hilarius in vtroq; libro ad Constantium. Pari ratione Eutychniani ita diuisi fuerunt, vt omnes ferè sectæ, quæ postea exstiterunt in Oriente, sint proles Eutychnianorum, vt patet ex Euagio lib. 3. & 4. hist. & ex Damasceno libro de centum hæresibus.

Denique nostro tempore constat ex Friderico Staphylio in libello de Concordia discipulorum Lutheri, Lutheranos vix dum natos, diuidi cõpisse in Anabaptistas, Confessionistas, & Sacramentarios; & rursus singulas sectas in alias & alias vsque ad 34. & hoc quidem tempore Staphyli; nunc autem numerantur ferè 100. diuersissimæ sectæ ab vno Lutheranorum prodeuntes. id quod fit magna prouidentia Dei; nam hoc modo hæreses seipsas consumunt; diuisio enim earum non est Mathematica, quæ procedit in infinitum. Vnde Isaiæ 19. dicitur: *Concurrere faciam Aegyptios aduersus Aegyptios.* Et HILARIUS lib. 7. de Trinitate: *Bellum hæreticorum, inquit, pax est Ecclesie.*

Adde, quod iidem etiam auctores hæretici secum non consentiunt, quæ est certissima nota falsæ doctrinæ, vt ipse



met LUTHERVS ait in lib. de votis monasticis: *Mendacia, inquit, certius dignoscere non potes, nisi quando sibi metipsis contraria sunt. A Deo enim ita ordinatum est, ut impij semper seipfos confundant, & quod mendacia non consonent, sed semper cōtra semetipsa testetur.* PORRO Lutheri cōtradictiones innumeras collegit Ioannes Cochleus in Septicipite, vbi ad finem adiecit 36. varias sententias vnus Lutheri de vno articulo, id est, de communione sub vtraque specie. Confessionem quoque Augustanam, quam omnes pro sacrosancta habent, ita immutarunt, & variè ediderunt, vt nesciant ipsi, quæ sit vera Confessio Augustana; de qua re consule Harmoniam Andreæ Fabritij Leodij, vbi videbis præter cetera editionem anni XXX. & editionem anni XL. quarum vna duplo est maior altera.

SED ad hoc argumentū aduersarij respondent vt possunt. CALVINVS in primis in præfatione Instit. dicit, non esse mirū si ex religione sua mox oriantur diuisiones, & sectæ contrariæ; nam id accidit etiam Ecclesie Apostolorum; ex ea enim prodierunt Simoniani, Nicolaitæ, &c. semper enim Diabolus, vbi videt bonum semen seminari, accedit, & superseminat zizania. DEINDE, idem Calvinus lib. 4. Inst. cap. 13. §. 14. dicit, ex hac nota colligi, nō esse apud nos veram Ecclesiam; nam tot sunt apud nos schismaticorum conuenticula, & diuisiones, quot sunt monasteria: olim enim Monachi vivebant quidem separati ab aliis, sed non percipiebant Sacramenta separatim, immō concurrebant ad Ecclesias ordinariorum Ministrorum, & ibi cum reliqua plebe sacris intererant, nunc autem singula monasteria sibi priuatum altare crexerunt, & Sacramēta percipiunt separati à populo Christiano, quod etiam nominibus testantur, cum alij Benedictini, alij Franciscani, alij Dominicani dicantur. TERTIO addunt alij, plures apud nos esse sectas, Thomistarum, Scotistarum, & similibus, quam apud illos.

RESPONDEO ad primū, hoc esse discrimen inter diuisionem hæreticorum ab Ecclesia, & diuisionem ab aliqua hæresi, quod in Ecclesia Catholica inuenitur certa regula componendarum controuersiarum, id est, sententia summi Pastoris, vel Concilij plenarij, & ideo nō oritur ex doctrina Ecclesie dissensio, sed ex sola malitia Diaboli. PRÆTEREA vndecunq; oriatur, mox dānatur, & eiecto hæretico scissura resarci-



refarcitur, nec ulterius in ipsa Ecclesia progreditur. At apud hæreticos non est vlla regula finiendarum cōtrouersiarum. Quisque enim se præponit aliis, & quisque vult esse iudex aliorum, & indefit, vt ordinariè quælibet noua hæresis statim pariat alias, & alias, donec per multas diuisiones consumatur, ita vt miraculum videatur, si aliqua hæresis diutius dureret. **IT A QV E** Ecclesie doctrina per se gignit vnionem, & cōiunctionem animorum; hæresis verò per se, & ex propria sua natura diuisiones, & schismata germinat. Cùm ergo videamus more aliarum hæresum, sectam Lutheranam mox diuisam fuisse in tam multas alias sectas, & quotidie magis & magis diuidi, nec sperari ab illis vllum finem diuisionum, meritò iudicamus eos hæreticos, & tandem penitus interiturum nomen Lutheranum.

Ad **S E C V N D V M** argumentum dico, in primis esse mendacium Caluini, quòd antiqui Monachi nō habuerint proprium altare, sed acceperint Sacramenta in Ecclesiis ordinariorum parochorum; nam Epiphanius in epistola ad Ioannem Hierosolym. testatur, se in monasterio S. Hieronymi ordinasse Presbyterum Paulinianum, qui in ipso monasterio Sacramenta conficeret ceteris Monachis; quia S. Hieronymus præ humilitate nimia non audebat sacrificia altaris offerre. Item Cassianus collat. 18. quæ est Abbaris Pyramonis, cap. 15. narrat in ipso eremo habuisse Monachos suos Presbyteros, etiam Monachos, qui Sacramenta ceteris ministrabant. Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesie, cap. 31. & 33. docet, non solùm in solitudine, sed etiam in vrbibus, vt Mediolani, & Romæ habuisse Monachos in suis cœnobijs præpositum Presbyterū, qui sine dubio ideo Presbyter erat, vt in cœnobio Sacramenta conficeret, & non cogereut Monachi egrediè monasteriis, vt irent ad Ecclesias. Denique Ioannes Damascenus in historia de Barlaam & Iosaphat scribit, Barlaam eremitam in sua cella sacrificium Missæ celebrasse, præsentem solùm ministro suo Iosaphat.

Dico **S E C V N D O**, schismaticū non fieri vllum propter versus altare materialiter, sed formaliter; alioqui omnes parochi essent schismatici, quia habent diuersa altaria in eadem ciuitate: & omnes Episcopi essent schismatici, quia habent altaria diuersa in ciuitatibus diuersis. Soli igitur schismatici sunt, qui ita erigunt altare proprium, vt altaria



aliorum profanum censeant. Deniq; Monachos huius temporis non esse schismaticos ex eo perspicuum est, quòd parent vni summo Pontifici, ordinantur Presbyteri ab Episcopis ordinariis, denique frequentantur à populis. Porrò nomina illa, Benedictinorum, Franciscanorum, Dominicanorum desumpta sunt non ab auctore doctrinæ, sed ab institutore seuerioris disciplinæ, vt notum est.

Ad TERTIVM dico, Thomistas & Scotistas non dissentire, nisi in iis rebus, quæ ad fidem non pertinent, vt B. Augustinus dicit de dissensionibus doctorum sui temporis lib. I. contra Iulianum, & præterea semper subiiciunt se & sua, Ecclesie definitioni omnes Catholici. Proinde etsi verbis interdum pugnare videantur, re tamen ipsa in rebus fidei omnes conueniunt, cum omnes id vnum credere se profiteantur, quod in Ecclesia Catholica Romana credendum esse iudicatum fuerit.

At hæretici de rebus fidei præcipuis dissentiunt, & vnus habet alium pro hæretico, & tamen eundem Lutherum patrem agnoscunt. de quo vide Hosium lib. I. cõtra Brentium, & Canisium in præfatione librorum Vegæ Coloniae excusorum. neque id aduersarij inficiari vlla ratione possunt: Siquidem primò non negant, Anabaptistas hæreticos esse Lutheranis & Zvinglianis; & contra; & tamen ex eodem Luthero omnes prodierunt: deinde Zvingliani sunt hæretici Lutheranis ceteris, vt patet ex testamento Brentij, & multis Lutheri libris; at Zvingliani, & Calvinistæ non audent Lutherum execrari, & tamen in rebus grauissimis ab eo dissentiunt, vt patet ex libris Caluini, Bezae, martyris, de cœna Domini, & de loco corporis Christi.

Rursus inter Confessionistas Lutheranos, rigidi, & molles grauissimè contendunt. id apparet ex libris Ioannis VVigandi, & Illyrici contra Georgium Maiorem, & Philippum Melancthonem, & horum contra illos. Centuriatores in præfatione s. Centuriæ de se sic aiunt: *Etsi sunt aliqui adhuc Doctores Ecclesie Dei in variis locis dispersi, tamen ñ non tantum à filiis huius seculi, quibus hoc solemne est, sed etiam à propriis synergis, & confratribus iridentur, molestantur, affliguntur, debilitantur, & franguntur, dum eos stercos, & seditiosos proclamant: dum seditiosis, & hæresium crimina eis impingunt.*



Ioannes VVIGANDVS in libro de erroribus Georgij Maioris: Tu, inquit, Georgi, es ille Vir, qui turbat Israël, non nos, qui te monemus de fædis erroribus pugnantibus cum Verbo Dei; nam tu ista ZIZANIA & tetros errores, in Ecclesia Dei libris editis, longè lateq̃, disseminas, ac plantas. Non Verò Ecclesiam Dei hortamur, Et in Vera, & semel agnita, atq̃ accepta puritate doctrina à Deo per salutare organum Lutherum perftet. Et infra: Non sunt lana, neq̃, linum, de quibus hic disceptatur; sed de grauissimis doctrina Christiana capitibus, qua à maiore, & aliis fædè deprauantur. Et infra post quartum errorem: Maior, inquit, ingenti audacia gloriatur, se nepulum quidem de doctrina Lutheri discessisse, & interim rotam Lutheri doctrinam de seruo arbitrio, reproba menti & Diabolo in cathedra Lutheri sedens attribuit. Et infra post septimum errorem: Hos perniciosos errores, inquit, Maior, Vir Dei Lutherus tum in scriptis suis, tum disputationibus publicè refutauit, & explosit.

Præterea inter ipsos rigidos quæstio grauissima orta est de peccato originis; nam Illyricus contendit peccatum originis esse substantiam, & contrariam sententiam vocat Spectra Pelagiana. Contra verò Ioannes VVigandus, Tilmannus Heshusius, & alij scribunt contra Illyricum, vt contra manifestum Manichæum. Certè Heshusius initio antidoti contra Illyricum, docet istam quæstionem ad fundamenta fidei pertinere.

Denique ex eadem prouincia Saxonia, intra decem annos prodierunt contradictoriæ sententiæ publico nomine editæ, de re omnium grauissima. Nam in Synodo Dresdensi anno M. D. LXXI. celebrata communi consensu explosorunt sententiæ Brentij, Illyrici, & aliorum de persona Christi, & tamen illam ipsam sententiam à se damnatam, anno M. D. LXXX. in libro Concordiæ publicè receperunt, & tam Synodus, quam Concordia VVittembergæ impressa sunt, & eiusdem Principis auctoritatem præ se ferunt,

## CAPVT XI.

## NOTA OCTAUA.



CTAUA NOTA est SANCTITAS doctrinæ. Vera enim Ecclesia nō solūm est Catholica, Apostolica,

Stolica,